

erant quibus se colligere, metumque tantum aut prorsus deponere, aut certe moderari quibant. Nam quod ad siccatum mare attinet, in quo natura ipsa ab adversariis superata videri poterat, quam facile homines omnibus dæmonum superstitionibus atque artibus assueti, et exercitati, hoc miraculum magi cujuspiam precreationibus attribueri potuere, aut existimare, Ægyptiorum deos vel tum non ritè placatos, vel Hebræorum diis forte quãdam inferiores fuisse, atque interim in suis diis Baalim, Astaroth, Dagone, Chamos, aliis hujus farinae commentis, quæ plurima colebant, bonam spem collocatam retinere, ac proinde ægyptiæ illius cladis exemplo paràm pernoveri? præsertim cum ejus memoria annorum 40 intervallo propè exolevisset. Quin etiam, si metus istius divini ratio rectè subducatur, haud potest ille ex miraculo siccati maris natus videri, quippe qui post annos demùm circiter triginta octo post illud, sit ortus, cum fluvium Arnonem transmitterent Israelitæ. His enim tum verbis apud Mosen Deut. 2, v. 25, usus legitur Deus: *Hoc ipso die incipiam immittere furidinem tuam et metum tuum in gentes, etc.* Nam quòd Rahab etiam illud miraculum repetit, eo hominum morem repræsentat, qui simul atque metu vehementiore conturbantur, eum sibi conquisitis undequaque causis sive falsis, sive remotissimis, ipsi augent. Jam verò plures etiam fuerunt humanæ ratiocinationes, quæ ipsis illorum duorum regum subversionem, etsi recentem, minùs tamen reddere poterunt terribilem. Nam sunt in omni bello momenta occasionum varia. Et qui victis favent, quamvis potiùs victoriæ causam, quàm eam elevent, ipsi fingere sibi solent, quàm hostium virtutem admirari. Verumenimverò majus quoddam erat divinus ille terror, quo Chanaanæorum omnium mentes stupebant, quam vel ex maris siccata, vel captæ Galaaditidis auditione nata formido. Si enim Israelitas, ut victoriosos, et proinde acerrimos hostes, tenuissent modò, cur Jordanem trajectibus non opposuissent obstaculum? Imò verò disertis verbis narrabitur, in capitis quinti initio, tum demùm seriò meture ab Israele Chanaanæos cepisse, cum flumen illi transmississet siccò alveo. Nam ante, ut miseròs, imbelles, profugos, quantum certè apparet, contempserant, neque existimaverant unquam fore tam audaces, ut se in illas Jordanis Mediterraneique maris angustias conferrent. Et interim tamen, cœlestis quodam

pulsu agitantur ipsorum mentes, afflictanturque desperatione mirifica rerum omnium, quoties de Israelitis seriò cogitabant. Eumque animi motum sola Rahab, qualis esset, quippe sibi vellet, et quorsum esset evasurus, rectè expendit; eoque inducta est, ut crederet Jehovam, Israelitarum Deum, esse Deum cœli et terræ, ut mox explicabimus.

Mare Rubrum vocant Hebræi mare Suph, à cujusdam herbe genere, quæ littora illius abundant. Nam quod divus Hieronymus putat, *סופ* rubrum significare, ego ut refellere nolo, ita approbare nequeo, Stephanus qui de uribus scripsit, citat Uranium, scriptorem Punicum, dicentem, ideò rubrum illud mare vocari, quòd montium, quibus cingitur, præcipuum ruborem, quem radiorum solis objectu reciprocatum undæ excipiunt, repræsentare videatur; atque insuper defluentem cum pluviam montes eos abluente colorem, re quoque ipsa, bibat, indeque rubescat. Neque ab Urano longè videtur dissentire nostri homines, qui per illa loca vagati, referunt, per intervalla rubram ex litore arenam maris conspici, iisque ferè locis curialium quoque reperiri. Et certe curialium in eo sinu gigni auctor est Plinius. Sed hæc hæcenus.

Historia delectorum duorum regum repetatur ex Deuteronomio, quamquam à nobis quoque post de illis multa erunt dicenda. Cæterum verbum, *מח*, quod converti, *delere*, ferè id significat quod Græcis *ἀναιρεσίν*. Nam interdum est, Deo consecrare, ut Leviticis 27, v. 28: *Omne anathema, quod quis consecraverit Domino, etc.* Aliàs, omnium detestationi, execrationi, injuriis devovere atque exponere, et planè, quantum fieri potest, occisionem occidere, prorsusque abolere. Quare Chaldaeus hoc loco rectè est interpretatus, *confecistis, perdidistis omnino*. Translatio cordis liquefacti, et spiritus sive animi non constantis, quæ à cerâ sumitur, aperta satis est, atque etiam ab aliis interpretibus explicata. Nam Septuag. *Liquefactum est cor nostrum*, dicit: *Mente nostrâ emoti sumus*. Et Chaldaeus Latinusque pro, *constare, reddiderunt, manere, aut reliquum esse*. Illud porrò, *propter vos*, est hebraicè, *à facie vestrà*, hoc est, vestrà causâ, vel propter vestram præsentiam. Non quidem quòd ipsorum præsentia, ut hominum, tam esset Chanaanæis genti fortissimè formidabilis; sed quia is Deus, quem colerent, et à quo diligerentur, esset Deus in cœlo, et Deus in terrâ. In cœlo quidem, ut qui cœlestes ho-

minum animos pro suo nutu regat, dum alios pavore consternat, alios audaci atque fortitudinis firmat. In terrâ verò, ut qui terrena omnia pro suo arbitrio dispenset, aliis auferat, aliis assignet. Hæc enim est divina illa Rahabæ sapientia, hæc fides, quæcum ejusdem illius Dei potentiam, majestatem, benignitatem denique sic complectitur, ut non solum ipsum, sed ejus etiam cultores ex animo amet; et quæ potest pietate charitateque prosequatur, meretur incredulorum hominum numero calamitateque eximi, ut ait divus Paulus, atque in Abrahamitis referri.

Nam Abrahamo etiam ante prædicatum Christi Evangelium, nata per fidem ex gentibus soboles est, quales numerant Tahandici feminas novem, Hagar, Aseneth, Sephoram Mosis uxorem, Sephoram obstetricem, Phumam obstetricem, Pharaonis filiam, Rahab, Ruth, Jael. Erat procul dubio etiam cæteris Chanaanæis, si, non omnibus, at certè multis, magna opinio, de unius summi Dei in cœlo terraque imperio, vel ex ipso naturæ instinctu nata. Nam legitimus altarum quoque gentium illiusmodi sententias, qualis ista Rahabæ videtur esse, cum dicunt: *Παρά σου γέννηται θεός σου*. Et: *O qui res hominum Deumque,*

Æterni regis imperis, etc.

Verum illi, ut Apostoli verbis dicam, cum Deum cognovissent, non ut Deum laude, antiquæ pietate prosequerentur, sed eam ipsam, quam videbant, veritatem, suâ injustitiâ impediabant. Dixerat Petrus, inquit divus Augustinus: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; audivique illic à Domino: *Beatus es, Simon*. Dixerant et dæmones: *Tu es Filius Dei*, et tamen non pronuntiabantur beati; quare? quia hi dixerant præ timore, ille amore. Dæmones ergo, inquit, habuerunt quidem fidem, sed non eam quæ justus vivit, hoc est, quæ per dilectionem operatur, ut ait Apostolus ad Galatas. Hanc enim habent soli servi Dei, soli fide filii Abrahæ. E quorum numero fuisse Rahabem diximus. Itaque cum neque illud naturæ lumen, neque audita de Israelitarum Deo miracula, neque denique angor ille conscientia, quo divinitus omnium animi exagitabantur, illos à suâ impietate abstinere possent, nec amorem pietatemque adversus verum Deum mentibus ipsorum ingenerare, nihil eis profuit illa opinio. Sed quantò æternam Dei potentiam atque divinitatem propius cognoscebant, tantò majore supplicio digni evadebant. At Rahab et cognitum Deum gloriòse prædicabat, iis quæ

nunc tractamus verbitis, et quæ adhuc potuit ratione, claritatis officii fidem suam ornat, fructuosamque præstabat, cum receptos ad se illius nuntios, aliâ viâ emitteret, ut ait Jacobus. Chaldaeus hunc locum paraphrasticè sic reddidit: *Et quòd Dominus Deus vester sit Deus, cujus divinitas est in cœlo supra, et dominatur super terram subter*. Sed eadem una est sententia, quæ Rahab fictitiis divinis omnium omnem cujusvis hebreicæ facultatem detrahit, omnemque illum cultum, atque etiam opinionem prorsus pessumdat, et unum Jehovam, hoc est, verum Deum, et rerum omnium parentem, pro Deo agnoscit, et cœli terraque domino: qui bonos præmio, malos penâ remuneret. Quæ fide atque professione quæ ipsa promeruerit, diximus Apostoli verbis. Veteres Hebræi autem in vetustis commentariis in Exodum, quæ Mechilta vocant, scriptum reliquerunt, hoc promeritam esse, ut octo prophetæ et sacerdotes ex ejus stirpe procrearentur: Jeremias, Helcias, Sarias, Masias, Baruch, filius Nerie, Hanameel et Sellum; fuit autem iste Hanameel filius Sellum, patris Jeremiæ prophete. Quin et Ezechielum, et Huldam quoque vaticinatione celebres viros referunt idem illi in album posteritatis Rahab; eamque aiunt quinquagesimo demùm vite suæ anno, per hanc sacram professionem, judaismo nomen dedisse, cum, abdicato turpi questu, quem adhuc à primis pueritiæ annis corpore fecisset, veniam à Deo flagitaret, et ante acta vite flagitia, per contrarias virtutes emendaret. Ante enim exceperat impuros amasios: nunc veri Dei cultores, et nuntios. Ante occultaverat alicuius mariti, nisi divini consilii procuratores. Ante ad se mechos filiabus per fenestram subdlexerat; nunc fune per eandem Chanaanicæ turpitudinis vindicæ emittit. Sed hæc hæcenus.

VERS. 12, 15. — JAM IGITUR JURATE, ORSECRÒ, MIHI DOMINI, etc. Superiori præclarissimo illi elogio, quo professæ est Rahab, Jehovam esse verum, et quidem solum Deum, planè est consentaneum, quòd cum ipso jurari velle. Nam, præter Deum, jurare rem ullam quæ usquam sit, sive in cœlo, sive in terris, nefas esse, lege divinâ sancitum est. Nam quidquid dejerat, et divinum nomen vel imprudens, atque tribus. Sed hoc alio disputabitur prolixius loco.

Cæterum quàm certè fide staturit Rahab, ut ante diximus, donâsse Deum Israelitis Chanaanem, eosque jam in possessionem missum ire, ex iis perspicuum fit, quæ nunc sibi ab

opporatoribus ipsa depaciscitur, non aliter quam si illi in re jam præsente versentur, oppidoque potius, in cives vite necisque exercent potestatem, cum interim florum salus in ipsis manu adhuc esse magis videri possit, et credibile sit, eos etiamnum trepidos, usque adeo se non factasse, ut etiam supplices mulierum fuerint. Verum ipsa handquaquam præsentem hospitem suorum fortunam corporis oculis, sed Dei consilium fidei sensu intuebatur; in quo cum toto animo acquiesceret, ipsum jurari posebat, ut certissimum vindicem futurum, si illi fallerent. Atque ut hoc jurandum impetret, suum illis ponit ob oculos in ipsos beneficium; sed modestissime, ut ab exploratore aliena. Bono enim viro nefas est, beneficium non reddere, si modo reddere possit sine injuriâ, ut ait Cicero Offic. lib. 1. Neque ullum est officium referendâ gratiâ magis necessarium, præsertim si hæc magna fuit. Fuisse autem Rahabæ in illos maximam, nemo negaverit: quippe quæ cum præsentissimo vite suæ periculo illorum vite consulebat. Sed tamen modestissima femina verbulo nullo officii sui magnitudinem effert, sed admodum modo simpliciter. Deinde, ut singularem ipsius pietatem agnoscat, non tam sui capitis, quam parentum, fratrum, sororum denique curam habet. Nam inepta est, meo iudicio, argutentula Davidis Kimbi, existimantis, de se nihil ipsum dicere, quia id officii jus postulabat, ut eam servarent, à quâ essent servati ipsi. Melius fortasse dicatur, de suis eam necessariis fuisse sollicitam maximè, quod sciret illos nondum in eo Deo, qui solus posset servare, spem habere collocatam. Sed illud notandum, de marito nullam esse mentionem, neque de prole, quorum prima aliqui habenda videbatur ratio. Nam prima societas, ut rectè dixit Cicero loc. cit., in ipso est conjugio, proxima in liberis; deinde tandem in unâ domo, quæ in nos seles spectat, neque aliud ullum potest habere refugium. Verum, quod ante quoque est à nobis dictum, mulier corpore quæstum facere consuevit, neque maritum habebat, neque liberos. Porro pietatem, sive benignitatem quæ se usam dicit, ego non solum pertinere autumo ad elatos regis allegatos et inquisitores; verum ad ipsam quoque evadendi rationem, jam tum ab eis illis monstratam atque promissam, ut nuper existimabamus. Perexiguam enim aliqui illud officium videri potuissent, cum ipsi adhuc clausâ urbe hostili, quasi carcere, retinerentur. Nomen רַחַב in sacris litteris fre-

quens, quod clementiam, pietatem, benignitatem interpretatur, Judæi dicunt significare officium, quod planè gratuitò fit, ubi scilicet nulla sunt merita. Signum veritatis, sive certum signum, vocat tesseram, quâ in urbis exitio, quod sibi per fidem quasi ante oculos statuebat, et rerum omnium perturbatione, ac promiscuâ clade, ipsa se suosque adversus victoris militis insolentiam, et temerarium inconsideratumque furorem, posset tutari. Porro illud: *Et quidquid habent, ad fratrum sororumque liberos etiam pertinere, constat ex versiculo 25 capitis 6. Animæ verbum, ut apud Græcos et Latinos, ita et Hebræos, pro vitâ accipi satis certum est.*

VERS. 14. — VIRI VERÒ AD ILLAM DIXERANT: ANIRA NOSTRA PRO VOBIS, etc. Hæc est jurisjurandi formula, quâ exploratores, coram Deo ipso, in eam se obligationem deducunt, illumque obtestantur, ut à se juris pejerati pernam capitalem sumat, si fecerint in eo, quod Rahab est stipulata. Insulsa autem est, meo certè iudicio, interpretatio R. Davidis Kimbi, quæ sic locum hunc explicat: Nos nosmet tradimus interficiendos pro vobis, iis qui vos volent occidere. Non est quidem in ipsâ formulâ sacrum Dei nomen Jehova scriptum. Nimirum satis erat illud in Rahabæ stipulatione fuisse, cui plenè perfectèque respondent viri. Ad hoc, religio est piis viris, sacrosanctum Dei nomen in illiusmodi detestationibus, ut sic dicam, adhibere. Atque ob eam causam, si illud positum est, ipsâ illâ malè ominatâ, et dira verba in talibus jurandi formulis subticentur. Velut in illis: *Sic faciat mihi Dominus, et sic addat: Vicit Deminus;* et quæ sunt his similes. Et verò quis in vulgi etiam verbis, cum dicunt: *Emoriar, peream, malè sit mihi, nisi hoc illud præstitero,* non continuo intelligat, Dei vindictam eos imprecare sibi si fraudem committant? Pronomen *reus* ad Rahabam, et familiam ipsius paternam spectat.

Porro illud: *Nisi detuleritis hanc rem nostram,* sive, hæc verbum nostrum, significat, ut RR. David Kimbi, et Levi F. Gersonis autumant, neque tesseram, quam sint daturi, neque colligenda in Rahabæ aedes familiæ paternæ consilium prodi debere. Nam ista si rescivissent ceteri cives, in ipso rerum discrimine, quotquot in membris habitassent, similibus fuissent signis usi; alii in aedes Rahab irrupissent. Sanè id mihi hæc exceptione videntur velle speculatores, facturos se planè quod illa petit, nisi ejus ipsius proditione obstaculum

opponatur. Nam se speculatum venisse, sciebant minime jam esse clam rege populoque, ut stultè hoc celari postularent. Verum enimvero admonemur istâ illorum exceptione, ut ne ad jurandum, nisi summâ cum cautione, atque religione deduci nos patiamur, postquam diligenter explorata usquequaque omnia habuerimus, an etiam præstare jurata possimus.

Quod porrò sequitur: *Et futuram est, ut quando tradiderit nobis, etc.,* illud ipsum est, quod iurejurando promittitur. Nam exceptio, quam modò explicavimus, per interpositionem dicta est; hoc verò rectè continet, quidquid proximo versiculo mulier est stipulata. Cæterum uti pietate, vel beneficentiâ, aut clementiâ erga aliquem, et simul veritate, est optimâ fide beneficium, sive benignum, aut pium in quempiam esse. Itaque et pietas aut beneficentiâ ad ipsum beneficium, et veritas, ad præstandi beneficii certam fidem spectat. Sæpè autem duo ista se conjunctè posita in sacris litteris reperias. Nam, ut unum locum ostendam, Abraham servus in Genesi cap. 24, v. 27, ad Deum hæc facit verba: *Benedictus Dominus Deus heri mei Abraham, qui non prohibuit suam beneficentiâ et veritatem ab heri meo.* Et paulò post ibid. v. 49, ad Rebecca parentes: *Jam verò si ultimis beneficentiâ et veritate erga herum meum, facite me certiore, etc.* R. David Kimbi verò existimat וְיָדַע eo differre, ab וְיָדַע quod illud sit gratuitum beneficium, hoc verò quod justum æquumque est ut præstetur. Itaque illud spectare parentes cognatosque Rahab, quorum nulla erant in exploratores merita; hoc verò ipsam Rahabam, cui æquum erat salutem pro salute rependere.

VERS. 15. — ITAQUE DEMISERAT ILLOS FUNE PER FENESTRAM, etc. Hic versiculus et proximus videntur non suo positi loco esse, sed ad vicissimum primum locum usque differendi. Neque enim credibile est, nondum datâ tessera demissos esse à Rahab exploratores. Neque insolens est in sacris litteris, perturbata confusaque narrationum series. Dicit tamen posset, sic ista esse accipienda, quasi Rahab se jam comparet quidem ad demittendos, atque cum ipsis de totâ effugii ratione disceptet, nondum tamen demittat. Quo loquendi genere Josua memorabitur ad Galgalâ revertisse, profligatis ad Gabaonem hostibus, multò antequam revererit. Sed dices: Si nondum demittuntur, quid est, cur mox dicant: Textum filii coccinei alligabis fenestrâ, per quam nos demissisti? Verum facilis atque expedita est re-

sponsio, temporum enallagen esse usitatissimam apud Hebræos, itaque demissisti, pro demiseris, positum esse, ad demittere paras. Sed neque illud fortassis absurdè dicatur, sollicitissimam de hospitium salute mulierem, solâ jurisjurandi religione contentam, salutis verò illud suæ signum commodiore tempore expectantem, propter illos urbe emisisse: ipsos verò jam securiores, ea quæ proximis verbis memorabuntur verba, pro munibus ad illam fecisse, cum per fenestram auscultaret, ut quod dedisset iusjurandum, id pluribus atque explicatioribus cautionibus exceptionibusque circumscriberent; quò ostensâ ratione omnis rei conficiendæ simul et illam de suâ suorumque salute certiorum faceret, et se ab errore atque culpa removeret.

Sequitur porrò in sacro textu: *Nam ipsius domus erat in muro mævium.* Nam aliqui ex privatâ mulieris domo non potuissent urbe emitte, clausis undequaque portis. Quippe solent in oppidis populosis, qualis erat imprimis Jericho, fortunæ tenuiores cives, et præsertim, qui artibus quæstum faciunt ab hominum frequentâ abhorrentibus, ædificas habere, in ipsos inædificatas immolitasque urbis muros, aut etiam in monium fornicatis habitare parietibus. Quomodò cum habitaret Rahab, essetque eadem una et monium et ejus gurgustii fenestra, quâ extra urbem spectabat, cum illâ emissis essent viri, liberum ipsis erat abire quovis. Parùm ergo considerat Josephus, contra atque sacra verba habent, domunculam Rahab, non in muro, sed propè murum urbis locat. Vocatur autem hoc loco, וְיָדַע ipse muri ambitus, quem menia, à muniendâ urbe dicimus. Veteres enim meminere, pro munire videntur dixisse: quod verbum in vetustis Fahlî exemplaribus ego scriptum reperi. וְיָדַע verò ipse est murus. Sed ista vocabula sæpè confunduntur.

VERS. 16. — DEXERATQUE AD IPSOS: AD MORTEM ABITE, etc. Jerichum et ab aquilone, et ab austro montes habere, qui utrinque versus Jordanem porrigitur, diximus; utrum horum scire jubeatur, neque certum est, neque scire refert. Hoc enim modo suadet Rahab, ne rectum iter teneant trajectum versùs, neque citò se illuc recipiant, sed totum diem proximum additi jaceant in monte quopiam, dum persequentes in urbem reversi, tutum iter reliquerint, quod postero die futurum conjiciat ex via spatio, quod ab urbe ad trajectum usque erat circiter quinque millium passuum,

ut Eusebio placet, aut paulo longius, ut aliis. Nam etsi multo majus eundo redeundoque conficere potuissent illi nocte dieque continuo itinere, praesertim cum eos gratiae regis ambitio incitaret, tamen inquisitioni non parum quoque temporis deputandum erat. Neque enim recta redituros esse, sed passim dum meta, recessus, latebras omnes rimaturos facile cogitabat prudens femina. Neque abs re. Nam ita eos fecisse constat ex versiculo 22. De triduo enim, quod ad latendum statuit, id ita esse accipiendum, ut is etiam dies in rationem veniat, quo die speculatores ad illam diverterent (nam eam noctis partem, quae ante somnum captum agitur, solet vulgus praecedenti diei adscribere); perendinus verò dies, hoc est, tertius, excludatur; eoque abire integrum sit, ante est à nobis explicatum. Talmudice verò, quod, ut solet, sequitur R. Salomon, opinantur, Rahabam, non conjecturà, triduum hoc praescripsisse, sed divino afflatu; quod neque nos refellendum putamus.

In commentariis, quae Genesis magna vocantur, ubi hic locus est à veteribus Hebraeorum magistris tractatus, scriptum legimus, tribulationes et res adversas saepe triduo definitas esse in sacris litteris, ut in illo: *Restituet nos tite post biduum; tertio die suscitabit nos, et revertens coram ipso*. Et in illo: *Aut ad ipsos Joseph die tertio: Hoc facite et vivetis*. Et in illo: *Fuit Jonas in visceribus piscis triduum*. Et in illo: *Factum est die tertio, ut vestiret se Esther regali veste*. Caeterum eam tertii diei velut praerogativam adscribunt, partim mysterio ejus diei effectum se posse dare cognoveris. Maxima enim fuit semper apud omnes gentes jurjurandi religio. Ejusque rei vel unus Cicero testis est satis locuples, ejus haec sunt in Officiis verba: « Nullum, inquit, vinculum ad e adstringendam fidem majores nostri jurjurando arctius esse voluerunt. Id indicant leges in 12 tabulis; indicant sacra, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides; indicant notationes animadversionesque censorum, qui nullà de re diligentius, quam de jurjurando judicabant, etc. Quin credidit antiquitas, non eum solum qui pejerasset, daturum Deo poenas, verum ejus etiam posteritatem tantum scelus luituram esse. Unde est illud Juvenalis de Spartano quodam, qui perjurium animo conceperat modo, reipsa nondum admiserat:

que in primà syllabà Patab, in locum Hirect, propter litteram Heth, quæ ex intimo gutture est pronuntianda.

VERS. 17. — VIRI VERÒ DIXERANT AD ILLAM: NOS INNOXII AB HOC, etc. Hic ego explicatius dici puto illud ipsum, quod decimus quartus versiculus breviter et strictim continet. Nam ex diversis compositis annalibus sacrà historià, ut alibi à nobis disputatum est, saepe fit ut rem eandem iterum atque iterum repetat, aliis aliisque verbis, et narrandi modis. Sin autem quis malit existimare, illà à exploratoribus nondum per fenestram emissis, hæc verò demissis esse dicta, non pugnabo. Cavent autem, providentque illi his verbis, ne se perjurio obstrinxisse videri possint, si quid, non sua culpa mulieri, aut ejus propinquit eventi mali, cum ea non fecerint scilicet, quæ ipsi praescribunt. Est autem oratio illa: *Nos innoxii ab hoc tuo jurjurando*, curta, debentque suggeri ista aut similia verba: *Esse volumus*. Est enim sententia versicali: *Nos planè præstare volumus, ne perjurii crimen faciamus; atque ideo hæc conditionibus, quasi cancellis, nostram obligationem circumscribimus*.

Monemur autem hæc tam accuratà istorum virorum cautione atque provisione, non solum colendum sedulo esse grati animi officium, cum ingrato nihil detestabilius sit; verum etiam, non temerè, neque prolixè jurandum esse, sed summà cum religione, et præcisè, ut ne plus affirmatè, Deoque teste promittas, quam rebus omnibus diligenter consideratis, effectum se posse dare cognoveris. Maxima enim fuit semper apud omnes gentes jurjurandi religio. Ejusque rei vel unus Cicero testis est satis locuples, ejus haec sunt in Officiis verba: « Nullum, inquit, vinculum ad e adstringendam fidem majores nostri jurjurando arctius esse voluerunt. Id indicant leges in 12 tabulis; indicant sacra, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides; indicant notationes animadversionesque censorum, qui nullà de re diligentius, quam de jurjurando judicabant, etc. Quin credidit antiquitas, non eum solum qui pejerasset, daturum Deo poenas, verum ejus etiam posteritatem tantum scelus luituram esse. Unde est illud Juvenalis de Spartano quodam, qui perjurium animo conceperat modo, reipsa nondum admiserat:

Spartano caidam respondit Pythia vates,
Haud impunitum quondam fore, quòd dubitaret

Deposito retinere, et fraudem jure tueri Jurando; quærebat enim quæ numinis esset Mens, et an hoc illi facilius suaderet Apollo. Reddidit ergo metu, non moribus; et tamen omnem Vocem aditi dignam templo, veramque probavit, Extinctus totà pariter cum prole domoque; Et quamvis longè deducta gente propinquis. Has patitur poenas peccandi sola volutas.

Sed est de jurjurando et perjurio dicendi campus amplissimus; atque argumentum hoc à multis est tractatum copiosè. Et Deus ipse testatus prolixè est, quam iniquè ferat, temerè sacrosanctum suum nomen à mortalibus usurpari. Quare de his haec tenent.

In verbo, דשבעתי, positum est sub litterà Tau, vocalis Kametz, pro Zere, propter accentum, qui solet versuum finem occupare, ut opinor. Est enim secundæ personæ generis feminini, ut loquuntur grammatici.

Est et generis quoque enallage in illis verbis, והוה דשבעתי. Nam demonstrationis pronomen masculinum jungitur nomini feminino. Caeterum jurandi hoc verbum putant Gabbalisticè à septenario numero dictum esse, nimirum, quia ea affirmatio tam rata certaque esse debet, quam si coram testibus septem esset facta. Et hanc notationem, atque insuper alia, de hoc verbo profert Bahaius commentariis suis in Genesis, cum de Abrahæ jurjurando disserit, quo se ille, in sacrà historià, omnium primus obligabat Abimelech. Sed ista nos alio loco explicabimus opportunius, si vita suppetet.

VERS. 18. — EN INTRANTIBUS NOBIS IN TERRAM, etc. Pro, in terram, reddiderunt Septuag. et: *πέποιε τὴν πόλιν*, in partem civitatis, volentes, opinor, significare, cum primùm irruptio fieret in urbem, illa procurari debere. Sed terram fortassè dicunt, vicina urbi loca, ex quibus illa circumsidebatur; difficile enim fuisset, capta urbe, in tantà omnium trepidatione et perturbatione, cognatos omnes in unam domunculam convocare. Vocabulum, תרתי, quod eum Judæis *textum* interpretatur, saepe spem fiduciaemque significat; ut non absurdè quis existimare posse videatur, per translationem sic appellari hoc signum, in quo salutis spes omnis, humano more loquendi, mulieri erat collocata. Septuag. et eos secutus Latinus, atque etiam Aquilas, et Symmachus, signum sunt interpretati, magis opinor pro sensu orationis, quam vocabuli notatione. Caeterum quid Chaldaeam moverit, ut *fimbriam*, converteret, quæ hebraicè פשוט vocatur in Exodo, non possum satis assequi conjecturà.

enim, *fimbriam*, aut vestis oram significare usquam illi existimo.

Rabbi David Kimhi putat, hoc dicere voluisse Chaldaeum: *Conspexam fortè in mulieris domunculà fimbriam è filis cocineis contextam alligare fenestras illos jussisse*. Sed hoc divinare est. R. Isaias à positione, תרתי, quæ collectionis habet notionem, deductum nomen, תרתי, funem significare censet, quòd in fune multa fila contorta componantur. Mihi verò verbum, תרתי, quod Chaldaeis textorem significare animadverti, persuadet, ut credam, תרתי, Hebraeis, non solum colligere, verum etiam contexere, olim significasse. Sunt enim caetera Orientis linguae ex Hebraicà natae. Ab eoque verbo et תרתי, lineam, funiculum, et hoc nostrum תרתי, descendere. Però ambiguum est in Hebraeo, an dicant: *Per quem fenestram; an verò: Per quem funiculum, sive textum, nos demissisti*. Aptè tamen cadere videtur, ut quo fune mulier suos hospites servarat, eodem ipsa quoque ad salutem utatur, praesertim propter arcanum sensum, quem multi adumbratum hæc ree censent, ut explicabimus opportuno loco.

VERS. 19. — ILLUS SANGUIS SIT IN CAPIT ISTUS, etc. In hujuscemodi orationibus, sanguis, culpam fusi sanguinis significat, quod Chaldaeus hoc loco explicatissime dixit. Judæos igitur et se, et suam posteritatem impiè et nefariè Christi caede obstrinxisse intelligimus, cum immani voce inclamarent: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros*. Itaque exploratores hic esse extra omnem culpam ponunt, si quid patiantur, qui se intra fornicem illam non continuerint, eamque avertunt in ipsos. Et rursus, non solum mortis, verum etiam, omnis damni, incommodi, injuriæ, quæ iis acciderint qui intus manserint, sese, ut capitulum rerum, faciant reos. Plus ergo promittunt, quam stipulata fuerat Balab. Vitam enim modò sibi quisque servari, non etiam pugnos caeterasque id genus injurias prohiberi illa poposcerat, cum sic diceret: *Conservabitis in via patrem meum*, etc., nisi hic putemus, verbum תרתי, perfectum vitæ incoluptatem significare, ut sanè videtur. In summà, apertè ostendunt hæc tam accuratà, tamque præcisà officii sui explicatione, cum propter datum jurjurandum, tum pro referendè gratià, summà se cupiditate studioque salutis Bahabie, et ejus familiarum teneri; quæ re procul dubio ejus animum singulariter confirmant. Nam quantò quis id, quod se facturum recipit, plu

ribus conditionibus atque exceptionibus praecidit, tanto plus sibi cura esse, ne fallat, ostendit. Qui enim temerè multa promittunt, iis plerumque nihil pensi est, ut promissi munusificent; sed vani futilesque homines nullo unquam honesti sensu, cogitatione tanguntur.

VERS. 21. — ET RESPONDERAT: UT VERBA VESTRA, SIC ESTO, etc. Accipit mulier condiciones, quibus sua illi promissa circumscriperant, quippe aequissimas. Sed observandum est hic scriptum esse, *dimiserat illos*, non autem demiserat. Est enim verbum מָלַךְ, hoc loco positum, quod saepe, pro valedicere, atque à se dimittere usurpatur. Supra verò erat, וַיִּדָּר, ac si dicas: Fecerat descendere, hoc est, demiserat, sive submiserat, aut deorsum miserat. Putat ergo Rabbi David Kimhi, jam valedicere mulierem exploratoribus, eosque dimittere, cum superiora verba ex inferiore loco pro munibus fecissent, ante demissi fuit. De qua re nos supra satis multa diximus. Nihil enim aliud allirmare hic possumus, nisi sententiam et opinionem nostram; imò vix eam, in re incertissima. Porrò quòd jam mulier memorat alligare signum suae fenestrae, id per prolepsin accipit idem Kimhi, quasi narretur id quidem hoc loco, ut intelligamus, minimè ab illa esse neglectum, ceteroqui tum demùm factum ab illa fuerit, cum urbem hostis obsidione clivisset; verùm ego nullam satis probabilem video causam, cur non illic id facere mulier sollicita puterit.

VERS. 22. — PROPECTIQUE PERVERNERANT IN MONTEN, ET MANSERANT ILLIC TRIDUUM, etc. De triduo satis multa sunt à nobis supra disputata. Sed quis latentibus significabat persequendum in urbem reditum, post quem conficere iter reliquum perrexerint? Neque enim credibile est, Rahabam tanti periculi rem internumto credidisse cupiam. Sed fortassè hujusmodi locum in monte ad latendum ceperant, ut inde possent ultra citròque commentes observare. Verùm ego existimo, Rahabae conjecturam secutos, praestitutum tempus latuisse, ac deinde iter continuasse. Porrò illud: *Vestigaverant autem per totam viam*, etc., muliebri consilium vehementer commendat: quo uno factum est, ut non sint speculatores deprehensi, cum de viâ in montem secessissent, et simul periculi magnitudinem illustrat, quòd quò majus illi evasere, tantò fiduciam majorem rei benè gerendae animo concipere imperator debebat, cum secum reputaret, nulla ho-

minum studia, conatus, machinationes adversus Dei consilium valere quidquam, nullaque esse posse pericula tam praesentia, è quibus modis non faciliè suos Deus eripiat.

VERS. 25. — REVERTERANT ITAQUE DUO ILLI VIRI, etc. Declinaverant, ut diximus, ab recto itinere; redire ergo in viam, trajectum versat oportebat. Ceterùm quòd imperatori exo suisse memorantur omnia, quae sibi acciderant, hoc est, quae perceperant, in magna speculatorum hominum laude ponendum est. Nam, ut sunt res bellicae, in minimis saepe, et, ut videntur, relatu indignis rebus, momenta versantur maxima; de quibus imperatoris et ducum debet esse existimatio, iudiciumque, non exploratorum. Quare prudentis imperatoris est, suos ipsam exploratores seorsim primum audire, et de tacendis dicendisque ante monere, quam in concionem producat, ne et variis ingenis anceps mobilisque, et iudicio praecipit multitudo, temerè ex illorum relatione majorem quam oportuit aut confidentiam, aut metum concipiat: quorum illa animorum elationem intolerabilem, hic stupidiū pavorem parere solent, cum magnas hominum copias invasere. Quae animorum perturbationes in exercitu juxta utraque solent imperatoribus accedere intractabiles, atque implacabiles. Et de formidine quidem exstat clarum et memorabile exemplum in Numeris. Simul atque enim, auditis propalam speculatoribus, trepidare atque in motu metis esse coeperat multitudo, usque adeò nihil Mosis, Aaronis, Caleb, Josuae denique verba apud eam efficere potuere, ut nisi subito Deus suam declarasset omnibus praesentiam, per immensum gloriae majestatisque suae splendorem, monitores illi lapidibus obruti pro salutari consilio poenam capitalem perturbato atque aestuanti populo dedissent. Ita enim ferè fit, ut quanto majore conatu, pluribusque rationibus consternatum multitudinem à metu revocare, fiduciamque afferre niteris, tantò illa se in majoribus positam esse periculis putet, tantoque confusioe trepidatione concitetur. De confidentià verò, si ea exercitus animos occupaverit, quantam etiam ipsa secum perniciem faciliè trahat, nonnisi nos Hæiansium excidium, qui cum ex felici eventu nuperà victoriolae temerariè audaciè immoediè exsultarent, oblii omnis militaris disciplinae, tam caecè persequendi hostis cupiditate simul omnes urbe effundebantur, ut eam omni nudatam praesidio, adversariis proderent. Credibile est ergo prudentissimum imperato-

rem Josuam, speculatores, quos non conscio, nedum scisciente populo emiserat, seorsim etiam ad se reversos audivisse, atque ad utrumque spectare voculam וַיִּרְוּ, de qua diximus multa ad versiculum primum hujus capituli. Certè illi hic jam narrantur ad Josuam, filium Nun, revertisse, Josuae omnia exposuisse. Populi verò nulla est mentio, contra atque in Numeris fit, ubi qui emissi fuerant, non modò ad Mosen et Aaronem, sed ad universum caetum Israelitarum reversi locutique memorantur.

VERS. 24. — DIXERANTQUE AD JOSUAM: NAM DOMINUS TRADIDIT IN NOSTRAM MANUM, etc. Hæc narratio curta est; quòd etiam R. David Kimhi annotavit. Multa enim praemissa videntur, quibus respondeat illa particula, *Nam*. Efficit enim ea, ut apparet, totius hortationis extremam partem. Veruntamen negari non potest, ut Graecis èt, ita Hebrais וְ, supervacaneum esse. Sed quando addunt: *Atque etiam liquefacti sunt omnes incolae*, etc., planè videntur alias quoque ante exposuisse faciliè victoriae conjecturas, quibus hanc insuper adjiciant, quam didicerant à Rahab, et quae longè omnium certissima erat. Nam, ut est verè ab Euripide dictum, τὸν δὲ τὸ ἀπαρτῶν ἐπὶ γῆνι κἀνάς γινώσκον τὴν ἔργον, ἢ πῶς αὐτὸν διώσκουσιν. Sed enim videmus quàm sit istorum exploratorum dissimilis oratio ab illorum, quos Moses, aut populus verius, emiserat, à Cades-Barne. Illi enim clamabant: *Non poterimus incidere populum*, hoc est, Chananeos, *quia fortior nobis est*. Illi verò clamant: *Tradidit eum Dominus in manum nostram; planè enim jam animos despondet*. Et tamen illi nulla passi pericula memorantur, quae istos praesentissima circumvallarent. Nimirum est illud longè verissimum quòd Paulus Romanis, cap. 8, scribebat: *Iis qui Deum diligunt, quidquid accidat, id cedere in bonum*. Itaque isti, quanto majora discrimina evaserant, tanto certiores sibi suisque opem divinam adversus hostem pollicebantur. Neque enim suas, ut illi, vires cum adversariorum viribus contendunt; sed quid Deus possit, quidque velit, id verò expendant atque considerant, cum aiunt: *Dominus dedit illos nobis, qui admirabiliter formidavit omnium animos prostravit*. Lubet hic paucis jam audiam de Josuâ historiam ad verum Josuam nostrum, hoc est, Jesum Christum, ab illo, ut diximus, adumbratum analogicè accommodare. Igitur Dominus, et servator mundi Jesus Christus, traductus per Jordanem, hoc est, baptismi sacramentum, populum suum in beatissimum

illam terram viventium, emittebat duos exploratores, id est, tum Apostolos, tum qui hos secuti sunt, sacri verbi doctores, in Jerichunta, perditissimum vitis omnibus mundum, quos cum excepisset Rahab meretrix, hoc est, profanus gentium populus, qui variis se deorum simulacris prostituerat, est tum à consuetà illa suâ turpitudine abductus, tum in populum Dei ascitus et conservatus, et quidem per pendentes è cruce, tanquam sublimi fenestrâ, et totius mundi speculâ, funem cocineum, ipsum Jesum Christum, qui torcular illud omnium laboriosissimum cum calcasset solus, robebat indumentum, id est, corpus ipsius. Verum cum mystica ista à multis sint piè pertractata, non persequar ego longius, ubi addidero, illud meo iudicio etiam apudissimè in evangelicam historiam eccidisse, quòd pauperula Rahab in suum gurgustiolum Josuae nuntios exceperit, non sapientes, non potentes, vel claro generi nati Jerichuntii, similiter atque Jesu Christi nuntii accidisse, monet Paulus apud Corinthios. Atque insuper nomen Rahab, quòd latitudinem significat, mirifice congruere typo Ecclesiae Christi, non modò quia hæc infinitis partibus dilatata est, prout fuerat Mosis Ecclesia, de qua re preclare vaticinatus est Isaïas capite 49 et 54, verum vel multò magis, quia, ut ait D. Paulus, priusquam veniret fides, custodiebamur sub lege conclusi, in eam fidem quae revelanda erat, etc. Homines enim sub Mosis lege viventes, et necdum per fidem in Jesum Christum consecuti promissionem Spiritus, hoc est, nondum adepti charitatem et justitiam, lege illà non alter atque carceris cancellis circumdati coarctabantur, et tanquam à pedagogo prohibebantur ab iis agendis, quae maxime cupiebant. Verum ubi per fidem in Christum consecuti sunt à Spiritu sancto charitatem, per quam fides operatur, atque inde justitiam, non jam cohibentur legis suae cancellis, sive minis, à vitis, sed per amorem, ut filii, observant aeterni Patris mandata animo prompto, soluto, libero, hoc est, corde dilatato, per charitatem scilicet, quam in id Spiritus sancti infundit. Quod divinus vates his verbis cecinit: *Per viam mandatorum curram, cum dilataveris cor meum*. Nam, ut ait D. Augustinus, dum hunc sacri poetae locum tractat, cordis dilatatio, justitiae est delectatio; quod munus est Dei, ut in preceptis ejus, non timore poenae coarctemur, sed dilectione dilatemur.

¶ Sed ista attigisse leviter satis est, piasque

animis earum rerum jucundissimâ meditatione sese excedendi, quantaluncumque occasione dedisse. Porro ejus rei sacrum sit symbolum, quod Rahab intra suos parietes continere debet, quos salvos cupit, audiat lector ex D. Cypriano, cum ad Magnum scribit. Et rursus cum adversus Novatianum tractat de simplicitate Prælatorum. Ego enim, etsi sic sentiam, nullam anagogam, quæ salutarem doctrinam explicet, animosque nostros secum in cœlum sublevet, esse repudiandam, etiamsi longiusculè petita atque accessita, pro sacrorum verborum notatione, videri possit; cum meminerim Pau-

CAPUT III.

1. Igitur Josue de nocte consurgens movit castra, egredientesque de Setim venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israel, et morati sunt ibi tres dies.

2. Quibus evolutis transierunt præcones per castrorum medium,

3. Et clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri et sacerdotes stirpis leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite et sequimini præcedentes;

4. Sique inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium (1), ut procul videre possitis, et nôsse per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam; et cavete ne appropinquetis ad arcam.

5. Dixitque Josue ad populum: Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.

6. Et ait ad sacerdotes: Tollite arcam fœderis, et præcedite populum. Qui jussa complentes tulerunt, et ambulaverunt ante eos.

7. Dixitque Dominus ad Josue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, ut sciatur quod sicut cum Moysse fui, ita et tecum sim.

8. Tu autem præcipe sacerdotibus qui

(1) Duo cubitorum millia ferè idem sunt ac undecim kilometri. — Ex hoc loco inducunt Pharisæi die sabbato cæterisque festis nemini licere longius a domicilio suo progredi quam duo cubitorum millia. Quod si verò longius progredi sit necessarium in effugium quod

lum dicere: Omnia ea quæ Israelitis olim exenerunt, typos fuisse, easque adumbrasse res, quibus hæc postrema mundi ætas, hoc est, אורח חיים, et Christi regnum institueretur ad salutem; et simul quædam eum ex Mose ad certas doctrinæ christianæ partes, scitè, atque ad eò divinè accommodare, quas tamen illa minimè adumbrasse aliqui existimes; etsi, inquam, sic sentiam, tamen constitutum habeo, anagogas, quoad ejus facere possum, parcissimè tractare, conscius et mihi et ipsi meæ mediocritatis ingenii, et plerisque doctis hoc seculo sui ipsorum fastidii, si paululum à sacris verbis digrediarè.

CHAPITRE III.

1. Josué étant donc levé avant le jour de camp avec toute l'armée; et étant sorti de Sétim, lui et tous les enfants d'Israël, ils vinrent jusqu'au Jourdain, où ils demeurèrent trois jours.

2. Après ce temps expiré, les hérauts passèrent par le milieu du camp,

3. Et crièrent: Quand vous verrez marcher l'arche de l'alliance du Seigneur votre Dieu, et les prêtres de la race de Lévi qui la porteront, levez-vous aussi vous autres et marchez après eux, mais de loin, par le respect que vous devez avoir pour le Seigneur.

4. Et ainsi qu'il y ait entre vous et l'arche un espace de deux mille coudées, et non davantage, afin que vous puissiez la voir de loin, et connaître le chemin par où vous irez, parce que vous n'y avez jamais passé; et prenez garde de vous approcher de l'arche, de peur que vous ne mouriez.

5. Josué avait dit au peuple: Sanctifiez-vous, et préparez-vous à recevoir de nouvelles faveurs du Seigneur, car le Seigneur fera demain des choses merveilleuses parmi vous.

6. Et il dit aux prêtres: Prenez l'arche de l'alliance, et marchez devant le peuple. Ils firent ce qu'il avait commandé, et ayant pris l'arche ils marchèrent devant eux;

7. Car le Seigneur avait dit à Josué: Je commencerai aujourd'hui de vous élever devant tout Israël par de nouveaux prodiges, afin qu'ils sachent que je suis avec vous, comme j'ai été avec Moïse.

8. Donnez donc cet ordre aux prêtres qui nous Rabbinis suppédant: Pridè frustum panis in viâ, duobus cubitorum millibus à domicilio, deponendum: sic in eo ipso loco domicilium esse censetur, et circumcirca duo cubitorum millia peragrare fas est salvâ conscientia (Drach, loco cit.).

portant arcam fœderis, et dic eis: Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in eâ.

9. Dixitque Josue ad filios Israel: Accedite huc, et audite verbum Domini Dei vestri.

10. Et rursùm: In hoc, inquit, scitis quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananeum et Hethæum, Hævæum et Pherezeum, Gergesæum quoque et Jebuseum et Amorrhæum.

11. Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedit vos per Jordanem.

12. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus.

13. Et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ; in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt decurrunt atque deficiunt; quæ autem de super veniunt in unâ mole consistent.

14. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis ut transiret Jordanem, et sacerdotes qui portabant arcam fœderis pergebant ante eum.

15. Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat),

16. Steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescens apprebant procul, ab urbe quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan; quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum), descendenter, usquequò omninò deficerent.

17. Populus autem incedebat contra Jericho; et sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini stabant super siccam humum in medio Jordanis, accincti; omnisque populus per arentem alveum transibat.

portent l'arche de l'alliance, et dites-ur: Lorsque vous serez au milieu de l'eau du Jourdain, qui s'ouvrira dès que vous y aurez mis le pied, arrêtez-vous là.

9. Alors Josué dit aux enfants d'Israël: Approchez-vous, et écoutez la parole du Seigneur votre Dieu.

10. Puis il ajouta: Vous reconnaîtrez à ceci que le Seigneur, le Dieu vivant, est au milieu de vous, et qu'il exterminera à vos yeux les Chananéens, les Héthéens, les Hévéens, les Phéréziens, les Gergéséens, les Jebuséens et les Amorrhéens.

11. C'est que l'arche de l'alliance du Seigneur de toute la terre marchera devant vous au travers du Jourdain, et vous le passerez à pied sec.

12. Or, pour conserver la mémoire de ce miracle que Dieu fera en votre faveur, tenez prêts douze hommes des douze tribus d'Israël, un de chaque tribu, qui feront ce que je vous marquerai dans la suite.

13. Et lorsque les prêtres qui portent l'arche du Seigneur, le Dieu de toute la terre, auront mis le pied dans les eaux du Jourdain, les eaux d'en bas s'écouleront et laisseront le fleuve à sec; et celles qui viennent d'en haut s'arrêteront et demeureront toutes suspendues.

14. Le peuple sortit donc de ses tentes pour passer le Jourdain, et les prêtres qui portaient l'arche de l'alliance marchaient devant lui.

15. Et aussitôt que ces prêtres furent entrés dans le Jourdain, et que l'eau commença de mouiller leurs pieds (or c'était au temps de la moisson des orges, auquel le Jourdain regorge par-dessus ses bords),

16. Les eaux qui venaient d'en haut s'arrêtaient en un même lieu, et s'élevaient comme une montagne, elles paraissaient de loin, depuis la ville qui s'appelle Adom jusqu'au lieu nommé Sarthan; mais les eaux d'en bas s'écoulerent dans la mer du désert, qui est appelée maintenant la mer Morte, jusqu'à ce qu'il n'en restât point du tout.

17. Cependant le peuple marchait vis-à-vis de Jéricho, et les prêtres qui portaient l'arche de l'alliance du Seigneur se tenaient toujours au même état sur la terre sèche, au milieu du Jourdain, et tout le peuple passait au travers du canal, qui était à sec.